



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacræ Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus XXXIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](#)

## MODUS XXXIX.

Solum nonnunquam antecedens , aut consequens probatum , totam sufficiens est constitutere orationem.Unde sequitur , posse quoque ex Antecedente Accessum & Exordium , formari ut consequens probetur : & posse consequens in Exordio poni : sicut & conclusionem Syllogismi , initio Syllogismi . Sed tunc , iterum , in fine , consequens aut conclusio repetitur , aut affectus proportionati materiæ subjiciuntur . E.g. Domin. 15. à Pent. supra illa verba . *Ecce defunctus efferebatur* , posset formari tale Enthymema . Spectaculum acerbum , communis in uno mortalitatis , propo- nitur . Ergo merito , magna reflexione expenden- dum : & inde , oratio à consequente inchoari . Ni- mium incurii sumus , si adhuc hodiè , per varia diva- gamur : & non toto animo huic tumulo affigimur . Res nostra agitur , nostra omnino , & non solius vi- duæ Matris : quod ut credatis , ostendam hunc ju- venis unius tumulum , esse communis mortalitatis spectaculum . Rursus , posset item , supra illa verba Dominicæ primæ post Pentecost . fecit cænam ma- gnam & invitavit multos , hec constitui argumenta- tio . Qui vocat ad cænam , est Christus : Ergo est parendum : & tunc ; antecedens aptum esset obire vices Exordii . Consequens autem , deberet proba- ri & perurgeri . Sed sit aliqua , promore , præce- ptū principalis .

O

PRA-

## P R A X I S.

Dominica VI. per Paſcha.

*Hac dixi vobis ut non scandaliſemini. Joan. 16.*

**A**cceſſus & Propoſitio. Quemadmodum diſcipulis periculum ſcandali imminebat, ex Chriſti paſſione: ita ſæpè, probis etiam viris, occurrit ex malorum ſuccesſibus & adverſitatibus bonorum, quod eas, pro ſignis irati numinis habeant. Ne ergo in talibus occaſionibus ſcandalizentur, demonſtrabo, contrarium: quod nihil in mundo pati, ſit ſignum inſigne, graviter irati numinis.

Confirmatio, per Enthymema.

Antecedens nihil in mundo pati, eſt ſignum, quod Deus aliquem, à ſua cura abjecerit. Confequens. Ergo non debent bonos, ſcandalizare mali, quando non patiuntur. Hujus Enthymematis, Antecedens ſolum probatum, facile conſtituet orationem: cum conſequens, apertè ſequatur, aut breviter inferatur. Paradoxum videri poſſet, quod proponitur niſi id, tam clarè ſacræ literæ docerent, quod nullus dubitandi locus relinquatur Eſech. 16. *Auferetur zelus meus, à te, nec iraſcar amplius, quiſ non diceret hoc promiſſo felicem Jeruſalem? ſed niſium quiſ infelix: cum mox ſubjiciatur. Ergo & tu, confundere, & porta ignominiam tuam,* quod ſignificat, illum à quo Deus auferit zelum ſuum, ne illi malum immittat: ſibi relinquere, & à cura Dei abjici, quæ ira Dei, gravissima eſt. Explicat idem

August.

16.  
disci-  
Chri-  
riter  
rum,  
ergo  
istra-  
sit si.

ium,  
onse-  
mali,  
An-  
t ora-  
t bre-  
quod  
rent,  
ch.16  
, quis  
? sed  
Ergo  
quod  
m, ne  
ei ab-  
idem  
igust.

August. Serm. 37. de verbis Domini tali proposita quæstione. *Vis nosse, nulla pana, quanta sit pana?* Davidem interroga, qui ait Psal. 9. Irritavit Dominum Peccator. *Quare, quid vidisti? vidi peccatorem impunè luxuriantem, & exclamavi.* Irritavit Dominum peccator. *Quare hoc dixisti? Vide quid sequitur.* Secundum magnitudinē irā sua non quaret: ideo nempe non exquireret, quia multū irascitur. Origen, homil. 8. super Exod. misericordiam Dei cum Justitia comparaturus. *Vide inquit misericordiam, & pietatem, & patientiam boni Dei, quando vult misereri: & indignari se dicit & irasci, sicut per Jerem. cap. 6. ait dolore, & flagello castigaberis Ierusalem, uti ne abscedat anima mea ab te.* Hæc, si intelligis, miserationis vox est. *Vis audire indignantis Dei terribilem vocem laudi, quod dicit per Oseam cap. 4. ubi cum enumerasset multa nefanda quæ Ierusalem commiserat, addit.* Non visitabo super filias vestras, dum fornicantur, neq; super sponsas vestras, cum manchantur. O voices, nisi utraque aure obsurduerimus gravissimas. O iram ingentem Dei! non punire, nec sinere malos taliquid pati. Verum, non ita id sentiendum, ut in solis improbis, illud sit verum: nihil pati, esse signum irati Dei. Universim hæc persuasa esse debent. Deus enim, quem diligit castigat, & quem non castigat non diligit, soli illi, ab ira Dei, & interitu apud Ægyptios, atq; Ezechielē liberi; qui crucis signo litera Tau insigniti: nec causa rei difficultas scilicet, quod qui aduersa non sentiunt

O 2

facile

facile fortunæ blanditiis corrumpuntur, ac per-  
eunt Psal. 52. In labore hominum non sunt, ut cum  
hominibus non flagellabuntur: ideo, tenuit eos super-  
bia, operti sunt iniquitate & impietate sua. Fieri non  
potest, ait Græcus Poeta, ut fortuna, mentem habeat  
& Seneca Epist. 94. quasi ista contraria sunt: bona  
fortuna, & mens bona denique Horatio judice.  
*Naturam plerumq[ue] fortuna corrumpit.* Sed habe-  
mus, firmorem bis sermonem scripturæ, quæ nar-  
rat de opulentissimo epulone, apud D. Lucam: tot  
illum bonis abundasse, ut in plures quoque annos,  
abundè desiderata sufficerent. Quid inde? Pur-  
pura, bisso, delicatis vestibus, epulis blandis; fortunæ  
utique indulgentis blanditiis, ferrea viscera, crude-  
lis anima nutriebat: teste Chrysol. unde, & sepultus  
in inferno. De Salomone D. August. lib. 15.  
de Civit. Dei cap. 19. Bonis initis, malos exitus ha-  
buit, dat statim causam. Quippe secundæ res, quæ sa-  
pientum animos fatigant, magis huic obfuerunt: quam  
profuit, ipsa sapientia. Abundantissimè rem to-  
tam Isai cap. 26. v. 10. edifferit: quando, hæc lo-  
quentem Deum iudicit: *Misereamur impio, & non*  
*discet justitiam facere in terra sanctorum iniqua ges-*  
*sit, & non videbit gloriam Domini.* Hoc est; fiat, ut  
bonis malus fruatur: & ut nihil mali patientur, qui  
in terra Sanctorum degunt, & recti videntur, hinc  
sequetur, ut dediscant Justitiam, scelesti evadant:  
Audiit Bernardus Ser. 42. in Cant. & rem nostram  
concludens, pro nobis, merito locutus. *Tunc ma-*  
*gis irascitur Deus, cum non irascitur. Misereamur,*  
*inquit, impio, & non discet Justitiam.* *Misericor-*  
*diam*

diam hanc, ego nolo; super omnem iram Miseratio ista, sepiens mihi viam Iustitiae. Volo, irascaris mihi Pater misericordiarum, sed illa ira, qua corrigis deum: non qua, extrudis de via. Illud nobis, benigna tua adversio parit: hoc, formidolosa, nutrit dissimulatio. Cum enim, sentio, te iratum: tunc maxime confido propitium. Etenim, cum iratus fueris, misericordia recordaberis. Attendite ad haec, pix animæ, ut cum successus aliorum: & vestras partimini adversitates, non scandalizemini. Felicissimus, quisquis extrema quæque patitur, dum Deum amicum habet: Infelicissimus, quisquis indulgentissime à fortuna fovetur, dum Deus, illi inimicus est. Delphinum Camer. pinxit, in mari ludentem, cui inscriptum, *Metuenda procella*. Taurum alter, liberè per pascua vagantem, cui præfixum. *Devotus victima*. Haec sunt spes, continuo gaudentium: & nihil adversi tolerantium: Hi sunt, super quos inclamat D. Præsul. Hippo. in Psal. 72. Attende illos superbos, illos indisciplinatos; attende taurum devotum victimæ, permisum errare liberè, & vastare, usque ad diem occisionis, O Domine! O Pater, misericordiarum! Hec mihi sit consolatio, Job. 6. ut affligen me dolore, non parcat. Vel sanguine subscripero, quod cum Greg. lib. 7. opto. *Qui ideo, hic quibusdam parcit, ut eos in perpetuum feriat:*

*ideo me hic feriat, ut hic non par-*  
*cendo, in eternum*  
*parcat.*